

Hermannus, quondam Iudaeus, praepositus in Scheida.

De Hermanno Scheidensi iam scripsit J. LEPAIGE, in sua *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 469-470. A Lepaige, « Beatus » dicitur Hermannus.

Hermannus iste, varias ob rationes nostris diebus celebratur. Non solum propter varia meritissima quae egit in Ordine Praemonstratensi saeculi duodecimo, sed etiam propter opusculum ab ipso conscriptum et conversionem eius a Iudaismo ad fidem christianam. Obiisse fertur anno 1173; nonnulli vero censent annum obitus ponendum esse post annum 1181.

Opusculum ab ipso conscriptum: *De Conversione sua* editum fuit apud MIGNE, *Patrol. Lat.*, CLXX, col. 803-836. Recenter iterum, cura G. NIEMEYER, critice editum fuit, accuratissima praefatione praemissa, in *Monumenta Germaniae Historica, Die Deutschen Geschichtsquellen des Mittelalters* (500-1500). *Quellen zur Geistesgeschichte des Mittelalters*. IV. Band. 1963. Weimar, Hermann Böhlau Nachf. 141 pp. Pr.: 12,50 DM.

Opusculum illud de Conversione Hermanni a pluribus maxime celebrari solet. Pauca indicasse satis erit. J. GREVEN, *Die Schrift des Herimannus quondam Judaeus: De conversione sua opusculum*, in *Annalen d. hist. Vereins für d. Niederrhein*, t. CXV, 1929, pp. 111-113, opusculum dictum diiudicat uti « Eine Perle des mittelalterlichen Literatur ». Fr. PETIT, *La Spiritualité des Prémontrés aux XII^e et XIII^e siècles*, Paris, 1947, p. 98, scribit: « Il est clair, pittoresque. L'ouvrage est bien composé et à une rare élévation d'esprit il joint une sincérité totale ». J. C. DIDIER, art. *Hermann de Cologne*, in *Catholicisme*, fasc. 19 (1957), col. 657, opusculum laudat: « autobiographie d'une sincérité émouvante et d'un intérêt considérable pour le théologien et le philosophe curieux de psychologie religieuse, mais aussi pour les rapports entre Juifs et chrétiens ». Sub hoc ultimo respectu, in quantum nempe relationes Iudaeos inter et christianos vigentes durante Medie Aevo considerantur, opusculum Hermanni nostri consideravit Dr. BLUMENKRANZ, *Juifs et chrétiens dans le monde occidental*, 430-1096, Paris, 1960, p. 18, et iterum, licet sub alio respectu in *Mediaevisten-Tagen*, habitis Coloniae, mense oct. 1963. Censet Blumenkranz Hermannum in conversione sua ad christianismum ductum fuisse potissimum rationibus psychologicis, consequenter ad difficultates perpessus in

vita sua familiari, ipsumque motum fuisse exemplo magnae charitatis fraternae quam ex parte christianorum expertus erat.

Percurrenti bibliographiam a Gerl. NIEMEYER editioni opusculi de Conversione Hermanni supra indicatae praemissam, pp. 63-67, constat Hermannum hunc eminere inter personas celebres et auctores eminentes saeculi duodecimi. Cuicumque praeterea percurrenti libros varios recentes et antiquiores de Hermanno hoc conscriptos patet plura adiuncta vitae suae hucusque plus minusve obscura remansisse. Opus perarduum ac merito laudandum ergo suscepit Gerl. Niemeyer parando editionem criticam textus opusculi Hermanni, ac simul in praefatione longa ipsi textui opusculi praemissa, pro posse, enucleando varias ac plures quaestiones quae relate ad personam Hermanni et biographiam eius merito poni possunt.

Illi qui rescire volunt quo modo G. Niemeyer textum critice editum praeparaverit, sane non omittent consulere ea quae in hac editione proponuntur de textus traditione : cfr. *Textüberlieferung* : pp. 49-61. Scite ulterius disseritur (pp. 32-49) de datatione eventuum in libello propositorum ac ipsius libelli conscriptione.

Immorari quodammodo in realibus de Hermanno Iudaeo in hac editione Opusculi placet, eo quod plura hic tractantur ac edicuntur quae hucusque parum vel nihil in alii editionibus publicata fuerunt. Ex praefatione generali (p. v) novimus Gerl. Niemeyer in animo habere publicationem Fontium de origine Ordinis Praemonstratensis in Germania ad finem perducere. Comparando praesentem biographiam Hermanni cum aliis documentis Ordinis nostri illa aetate confectis in Germania, eius indoles peculiaris apparet : « ... Die biographische Bekehrungsgeschichte des in Köln um 1128/1129 getauften Juden Judas-Hermann, der danach Prämonstratenser in Cappenberg bei Münster wurde, später Propst des westfälischen Prämonstratenserstifts Scheda und schliesslich Kanoniker in Köln, nicht eigentlich mit den um die gleiche Zeitenstandenen Lebensbeschreibungen des Ordensstifters Norbert von Xanten und des ersten Prämonstratenserstifts Gottfried von Cappenberg zusammen in eine Quellengruppe gehört » (p. v). Auctor huius Opusculi non intendit exponere ipsam historiam religiosam aut civilem suae aetatis ; agitur vere et tantummodo de « autobiographia ». Et quidem de autobiographia quae prima in tempore fuit in serie specialis illius generis litterarii post S. Augustinum. Auctor huius autobiographiae est Iudaeus quidam Coloniensis, cui nomen erat : Iudas

ben David ha-Levi; qui postea in baptismo nomen Hermanni obtinuit.

Quamvis vero in hoc Opusculo agatur de autobiographia, plura scitu utilia de eius vita nullo modo indicantur. Ita ut non facile sit curriculum integrum vitae auctoris clare delineare.

Gerl. Niemeyer revera nullum omisit conatum ut curriculum vitae Hermanni perspectum nobis appareat. Conclusiones inquisitionum illarum indicamus.

Natus erat Judas-Hermannus in civitate Coloniensi, in familia quae mercaturae dedita erat. Iter faciens in civitatem Moguntinam (Mainz), in hac civitate obviam habuit Ecbertum, Monasteriensem episcopum (1127-1132); cumque episcopus iste penuria argenti laboraret, ipsi ab Hermanno nostro summa argenti mutuo traditur, omittendo ab illo episcopo requirere documentum scriptum attestans mutuuum acceptum. Ideo Hermannus, domi redux, a parentibus iubetur episcopum Ecbertum iterum adire, ut quaestio mutui concessi ex omni parte ordinari possit. Hac ratione Hermannus per viginti hebdomadas in curia episcopi Ecberti commoratur. Ut amicus exceptus ab episcopo, cum isto iter facit in monasterium Cappenbergense. Cumque paulo post abbas Rupertus Tutiensis (Rupert von Deutz), qui tunc iam « Dialogus inter Christianum et Iudaeum » conscripserat, Monasterii degeret, de Iudaismo comparato cum Christianismo colloquia plura inter episcopum Ecbertum et abbatem Rupertum habita fuerunt, quibus non raro assistere potuit Hermannus noster. Varia itinera, pluresque inquisitiones de veritate Iudaismi accesserunt; orationes foeminarum piarum lumen attulerunt. Donec tandem Judas-ha-Levi baptismum christianum suscepit Coloniae in ecclesia S. Petri.

Conversio ista Hermannum baptizatum alienum a familia reddidit. Cumque argenti mercatura catholico illo tempore permissa non esset, ad monasterium Cappenbergense accedit. Ibidem per quinque annos studio linguae latinae deditus, tandem « gradatim » ad ordines sacros ascendere ipsi conceditur. Hoc narrato, finem habet Opusculum de Conversione.

De Hermanno isto proinde non ita multa in ipsa hac biographia edicuntur. Ex aliis vero fontibus historicis plura ad vitam Hermanni spectantia erui possunt. Quae, simul iuncta, biographiam multo magis completam reddunt.

E Vita S. Godefridi Cappenbergensis, in qua « frater in tempore nostro Hebraeus » citatur, novimus fratrem Hermanni Iudaei

simul cum ipso fuisse baptizatum ac postea canonicum fuisse Cappenbergensem.

Usque ad saeculum decimum sextum de Hermanno nostro in variis fontibus historicis sermo non amplius fit. Saeculo decimo sexto KLEINSORGEN, in historia ecclesiastica Westphaliae scribit Iudaeum quemdam baptizatum et virum doctum, Hermannum dictum, primum abbatem fuisse monasterii Scheidensis. Iterum abbas W. GRUETER, qui saeculo decimo octavo *Initium et progressus monasterii Scheidensis* conscripsit, de Hermanno sermonem habet. Verum, ad mentem editricis nostri Opusculi, Niemeyer, historia a Grüter conscripta fidem historicam non meretur.

Ex regestis chartarum antiquarum apparet Hermannum praepositum fuisse Scheidensis monasterii (ita a. 1170).

Cum autem, teste Niemeyer (p. 11), origo monasterii Scheidensis valde obscura sit, ob defectum documentorum antiquorum quae vere fidem merentur, non facile catalogus praepositorum illius monasterii cum certitudine dari potest. En, quae iuxta Niemeyer, de hac re proponi licite possunt : Scheida initio erat monasterium exiguum ac pauperrimum. Hermannum nostrum praepositum fuisse huius monasterii negari nequit ; anno 1170 ut praepositus documentum quoddam publicum confirmat. Antea per aliquod tempus Bonnae commoratum fuisse videtur. Quod, non sine probabilitate, ita a G. Niemeyer explicatur : Ex non paucis indicationibus antiquis sequitur non raro accidisse religiosos unius monasterii, formationis causa, per aliquod tempus, in alio monasterio commorari. Idem pro religiosis monasterii Cappenbergensis incipientis (ad quod sese aggregaverat Hermannus) admitti posset. Anno ergo 1170 praepositus erat in Scheida. An haec praepositura per plures annos protracta fuerit, dici nequit. Neque constat quo anno praepositura illa inceperit. Videtur Hermannum praepositurae renuntiassse ante mortem, et deinde civitatem Coloniensem adiisse. Renuntiatio illa originem habuisset in non modica discordia exorta inter Cappenberg et Scheida de iure paternitatis Cappenbergensis ; in qua discordia Hermannus aliam sententiam tenuisse videtur ac confratres sui monasterii. Cum autem Coloniae illo tempore Hermannus quidam canonicus apparet, videtur hunc identificare debere cum Hermanno nostro ; in hac hypothesi, Hermannus noster mortuus est non diu post a. 1181.

J. Chr. VAN DER STERRE, abbas S. Michaelis Antverpiensis, edendo a. 1625, *Natales Sanctorum Candidissimi ordinis Praemon-*

stratensis, p. 114, Hermannum nostrum Beatum dicit. Verum fontes quibus usus est Van der Sterre in hac re tuti non videntur. Nam aperte confusio apparet inter Hermannum nostrum et Hermannum II, qui postea monasterium Scheidense rexit.

Postea, in ipso monasterio Scheidensi, rursus de Hermannno nostro sermo fuit. Minus de eius Opusculo, quam de eius vita. Nam a. 1628, adstante vicario generali Coloniensi, Iohanne Gelenio, simul cum abbate monasterii, Grüter, sepulchrum, prout censebatur — falsitas huius opinionis probari nequit — Hermannni apertum est; omnibus repertis accurate examinatis et notatis, exuviae iterum novo sepulchro committuntur in sacristia Scheidensis monasterii.

De « Vita » Hermannni nostri agitur in *Actis Sanctorum*, mense Augusti, t. II, col. 124. Quamvis editores huius tomi certi facti fuerint Hermannno in ipso monasterio Scheidensi numquam honores cultus publici tributos fuisse. — Cum monasterium Scheidense anno 1809 suppressum fuerit, ecclesiaeque anno 1817 (ita Niemeyer in hac editione, p. 32; dum BACKMUND, *Monasticon*, t. I, p. 190 asserit hoc evenisse iam anno 1811), de exuviis Hermannni nihil amplius reperitur.

His de vita Hermannni breviter expositis, paulo penitius contentum Biographiae inspicere lubet.

Hermannus decursum vitae suae descripsit a pueritia sua usque ad susceptum sacerdotium. Determinari nequit quonam momento vitae suae Hermannus hanc biographiam conscripserit. Quamvis non raro assertum fuerit Hermannum hunc libellum scripsisse cum esset iam praepositus monasterii Scheidensis, argumentum stringens pro hoc asserto in vanum hucusque quaeritur. Solummodo post obitum auctoris evulgata fuit biographia.

Hermannno datum fuit monasterium Praemonstratense Cappenbergense, recens fundatum, invisere. Specimen vitae vere religiosae, quod ibidem ipsi perspicere concessum fuit, maximopere eius mentem gaudio spirituali replevit. Audi ipsum Hermannum scribentem: « Magnifici ac regie generositatis comites Godefridus et Otto germani roseo adhuc primeve etatis flore vernantes, divitiis ac totius secularis pompe voluptatibus affluentes, igne divini amoris accensi, quicquid in hoc mundo deliciarum vel habebant vel habere poterant, alacri pro Christo devotione reliquerunt ipsumque castrum cum sufficientissimis patrimonii sui prediis Deo in simplicitate cordis sui leti offerentes, in monasterium illud clericorum regulam beati

Augustini tenentium commutarunt. Scientes autem perfectorum esse, non solum sua, verum etiam semetipsos relinquere, ipsi evangelice perfectionis ferventissimi emulatores cum suis omnibus semetipsos pariter abnegaverunt assumptoque eiusdem perfectionis habitu suas mansuetissime cervices alieni moderaminis iugo submiserunt, ita cunctos fratres totius abiectiois humilitate prevenire certantes, sicut eos prius seculari dignitate precesserant... Horum itaque comitum ac cenobitarum religiosam cernens conversationem ignominiosam, ut ego sensi, rasure vel tonsure decalvationem, abitus abiectiois multimodam, carnis macerationem, orationum et vigiliarum continuationem, miser ego et miserabilis tanto eos infeliciores reputabam, quanto hunc eos sine remunerationis fructu laborem vana spe perpeti existimabam » (p. 88 s.).

Longo tempore lucta interna Hermannum angebat, antequam christianismum amplecteretur. Difficultates non modicas ex parte familiae motas superare debuit. Moraliter compellitur ad matrimonium ineundum. Vehementer exprobratur eo quod favorabiliter iudicat de christianismo. Signo crucis se signando animi quietem tandem invenit. « Quia Christianis docentibus magnam esse sancte crucis virtutem agnoveram, frequenter cor meum signo eiusdem crucis consignabam, efficacissimum illius esse sperans auxilium ad hoc a me velamen perfidie removendum » (p. 105). In magna pugna spirituali sub qua eius animus ingemiscit, orationes monialium exquirat, et fides in Christum ipsi paulatim conceditur. Fateturque : « O quam vera est illa Iacobi apostoli sententia : Multum valet deprecatio iusti assidua. Haud multo post tempore meritis ipsarum (monialium) et precibus tanta repente cordi meo christiane fidei claritas infulsit, ut ab eo totius pristinae dubietatis et ignorantie tenebras penitus effugaverit, congrua nimirum vicissitudine, ut per feminam lapsum femine precibus sublevarent. O vos ergo devote et sancte mulieres, quaecumque ista legeritis vel lecta audieritis, preclarum imitandumque in his beatis feminabus orandi exemplum accipite, scientes orationes vestras quanto quietiores, tanto esse sinceriores tantoque esse ante Dei conspectum ad impetranda quolibet efficaciores » (p. 108). Mox fidem se habere percipit, praxes religionis christianae multiplicat, « sanctorum basilicas magna cum devotione frequentare ac verbo Dei audiendo tam cordis quam corporis auditum cepi delectabiliter accomodare » (p. 109) ; et ad baptismum suscipiendum anhelat, « cepi regenerationis huius lavacrum tanto ardentius desiderare, quanto sine eius remedio nullatenus me

iuxta hanc Domini vocem celeste regnum constabat posse introire » (p. 109).

Interim et fratrem suum ad christianismum ducit, defensor christianismi evadit apud Iudaeos in civitate Wormiensi. Tandemque seculo renuntiat et divino servitio se mancipat in monasterio Cappenbergensi. « Ad famosum ac totius religionis locum Cappenbergense videlicet, cenobium velut ad quemdam salutis portum de naufragio mundi huius pelago nudus cum nudo hoste luctaturus evasi, ibique presentis vite finem et promissionem future prestolaturus secundum beati Augustini regulam vitam cum habitu mutavi » (p. 121 s.). Tandem plene participare ipsi conceditur sacramento S. Eucharistiae. « Tunc etiam ad mensam regis convivaturus accessi, quando sacrosanctum altaris misterium licet indignus suscepi. Ad mensam vero sedere, est ad altare Christi humiliter accedere. Sed huius celestis mense quale sit convivium, quam dulces deliciae, digne verbis explicari non potest, sed hoc illi soli noverunt, qui per gratiam Dei experiri meruerunt. Quae, inquam, fidelis anime sit convivium, ad reverendam altaris mensam cum integra fide, cum vera cordis humilitate et contritione, cum sincera mentis devotione accedere et in ea agni immaculati Iesu Christi carnibus saginari et sacrosancti sanguinis eius calice inebriari, nemo, ut dixi, nisi expertus intelligit. Porro olus, quod in mensa regis manducare mihi visus sum, Christi arbitror designare evangelium. Nam sicut idem olus ex variis fuit herbarum generibus confectum, ita ex variis preceptis ad vitam eternam pertinentibus Christi constat evangelium. Ad regale igitur convivium olus manducare, est sacerdotem dominico altari assistentem sancti evangelii precepta solleter atque subtiliter considerando velut in ore cordis ruminare, pensando scilicet, quam humilis, quam devotus, quam nitidus castitate, quam fervidius caritate debet existere, qui tanti sacramenti misterium decenter ac Deo acceptabiliter cupit celebrare. Nobiscum quoque rex Christus epulatur, quia spiritualium profectuum nostrorum dulcedine pascitur » (p. 124 s.).

Finem imponit Hermannus laudem proferendo gratiae Dei : « Ecce enim misericors et miserator Dominus de stercore pauperum erexit, ..., cum me, ..., non solum suis fidelibus per unitatem catholice fidei sociare, verum etiam per sacerdotalis dignitatis gratiam gloriosis mense sue conviviis pius et misericors dignatus est aggregare. Quis hec, o Domine, tue circa me indignum pietatis viscera pensare, quis tam immensas bonitatis sue divitias digne valeat estimare ? Spero, Domine, et fideliter de tanta benignitate

presumens credo, quia misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vite mee, cuius tanta iam mihi gratiarum pignora dignatus es prerogare, pro quibus, ut dignum est, laudes et hostias iubilationis tibi piissimo illuminatori meo immolare non desino » (p. 126 s.).

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Vente de livres par l'abbaye de Salival en 1238.

C'est un fait bien connu, que les manuscrits voyageaient parfois au moyen âge ¹⁾. Les abbayes acquéraient ou copiaient des livres aux temps de leur prospérité. Elles revendaient ces œuvres calligraphiques aux époques de misère. Vraisemblablement un motif pareil inspira la vente de livres commandée par l'abbé Henri de Salival ²⁾. Une charte du 3 mars 1238 (n. s.) délivrée par le même abbé, nous la fait connaître. La vente se fit avec l'autorisation des abbés de Justemont et de Metz-Sainte-Croix, abbayes prémontrées également situées en Lorraine ³⁾. Outre un psautier glosé, une partie de la bible et les épîtres de saint Paul, la vente comportait les *Homiliae in Ezechielem* ⁴⁾ et les *Moralium libri sive expositio in Job* ⁵⁾, œuvres de Grégoire le Grand († 604), les *Sermones in Cantica canticorum* ⁶⁾ de Bernard de Clairvaux († 1153), l'*Expositio in Apocalypsin* ⁷⁾ de Haimo de Halberstadt († 853), enfin l'opuscule

¹⁾ On trouvera quelques exemples aux articles de G. DESPY, *Donation de manuscrits au moyen-âge*, dans *Archives, bibliothèques et musées de Belgique*, XXIX, 1958, p. 16-20, et d'E. BROUETTE, *Legs de manuscrits à des abbayes au moyen âge*, dans *Scriptorium*, XIV, 1960, p. 105-106.

²⁾ Abbaye prémontrée à Morville-les-Vic (Moselle, Fr.), fondée vers 1157 et supprimée en 1791. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, III, Straubing, 1956-1960, p. 104-107. L'abbé Henri ne figure pas dans la liste des prélats de Salival, publiée par BACKMUND.

³⁾ L'abbaye de Justemont, située à Vitry-sur-Orne (Moselle, Fr.), fut fondée vers 1120-1124 et supprimée en 1791. Cfr. N. BACKMUND, *op. cit.*, III, p. 81-84. L'abbaye de la Sainte-Croix de Metz date des environs de 1133. Elle fut supprimée au début du XVII^e siècle. N. BACKMUND, *op. cit.*, III, p. 84-88.

⁴⁾ Ed. PL., LXXVI, col. 785-1072.

⁵⁾ Ed. PL., LXXV, col. 515 - LXXVI, col. 782.

⁶⁾ Ed. J. LECLERCQ, C. H. TALBOT et H. M. ROCHAIS, *Sancti Bernardi opera. Sermones super Cantica Canticorum*, 2 vol., Rome, 1957-1958.

⁷⁾ Ed. PL., CXVII, col. 937-1220.